Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ascendit. & nauigantes peruenerunt ad monasterium discipulo
rum beati antonii. Euenit autem in alia die ut ueniret pater
antonius iam uespera peracta. sic referebat chronicus. Quando
autem aduenebat in monasterium secundum consuetudinem uocabat
macharium. & interrogabat eum dicens. Frater machari. uene
runt aliqui fratres hic. Respondebat. Etiam uenerunt. Iterum
interrogabat. Egyptii sunt aut iherosolimite. Dederat enim sig
num dicens eis. Quando uideritis inquietiores dicite egyptii sunt.
quando autem religiosiores dicite quia iherosolimite sunt. Interroga
uit ergo secundum consuetudinem fratres. Egyptii sunt an iherosolimi
te. Respondit macharius & ait. quia mixti sunt. Quando autem
dicebat quia egyptii sunt. iubebat beatus antonius ut pulmen
tum lenticule apponerent eis cibum. Et postquam refecissent. facie
bat eis orationem. & dimittebat eos. Quando autem dicebat quia ihe
rosolimite sunt. sedebat per totam noctem disputans eis de uerbo
dei. que ad salutem anime pertinent. In illa ergo uespera sedebat & uo
cabat omnes fratres. Qui cum aduenissent. subito uocauit eulogi.
eulogi. Tercio autem cum nullus ei indicasset nomen eius. s; eulogius
non respondebat ei. arbitrabatur enim quod alium eulogium de mo
nasterio uocaret. Tunc dicit ei. Tibi dico eulogi. qui ab alexandria
uenisti. Respondit eulogius & dixit. Quid iubes domine. Interrogauit
eum antonius. Quid huc uenisti. Ait eulogius. Quis reuelauit tibi
nomen meum & causam manifestauit. Dixit ei antonius. Scio propter
quod uenisti. s; coram omnibus dicito. ut & ipsi audiant. Et eulogius
dixit. Hunc leprosum inueni in platea iacentem. & leuaui eum & pro
misi domino ut eum repausarem quatenus & ego saluus efficiar. & ipse
per meum obsequium repausationem habeat. Et quia post tantos an
nos recedere uult a me. & nimis exacerbat me dum festinat rece
dere. & cogitaui precere eum. & ideo ad sanctitatem tuam ueni ut